

Verùm causa univoca assimilare sibi conatur effectum ; Pater enim ut causa univoca intendit generare Filium sibi similem, at de causâ æquivocâ, qualis est DEUS respectu Mundi, quis adferat eam assimilare sibi effectum ? Et suppositô quod causa in effectu sui similitudinem relinquat, sufficere potest ad hanc similitudinem Dei exprimendam, quod homo factus est ad imaginem & similitudinem ipsius, adeoque eô ipsô DEUS sui similitudinem reliquerit. Et quid refert, quod in Angelis perfectior similitudo ponatur ? potuisset enim DEUS illam nolle producere humanâ contentus. Imo nunc & in posterum posset producere altiores & excellentiores Naturas spirituales ipsis Angelis jam productis, in quibus major & iterum major significari posset assimilatio ad DEUM, nec tamen de facto illos produxit. *Vide B. Zeisoldum in Disput. de Exist. Angel. §. 17. & 19.*

§. 8. Nec est, quod aliquis *referente Virô pralaudatô in disp. cit. §. 10.* existentiam substantiarum Spiritualium h. m. ex Lumine Naturæ ostendere allaboret. *Datur substantia immaterialis incompleta. E. datur etiam completa. Incompleta enim imperfectior, completa magis perfecta est. Si ergò, illa potest esse, quidni etiam hac ?* Hanc consequentiam cum suâ probatione vanam esse palam est. Nam quantumvis substantia completa perfectior sit, quàm incompleta, non tamen sequitur, quod illa sit actu, quia hæc est actu. Neque enim perfectior substantia magis est objectum potentiæ divinæ, quam imperfecta, & DEUS non tenetur ideò illam producere, quia alteram nempe incompletam produxit, siquidem non tenetur ad objecta ex se perfectiora; sed quicquid vult, facit.

§. 9. Thomas 2. cont. Gentes cap. 46. & Scheibl. d. l. num. 7. p. m. 183. Angelos lumine Naturæ innotescere
pro-